DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUAEDAM

DE

VINI ET SPIRITUS ARDENTIS INTEMPERANTIA

COMPLECTENS.

AUCTORE RICARDO MARTLAND.

Quoniam legibus almae hujus academiae statutum est, ut quicunque medicinae honores ambire studeant, aliquod de re medicâ conscriptum ederent; de effectibus qui ex usu immodico vini et spiritûs ardentis in machinam animalem profluunt, breviter disserere statui, omissâ omni mentione de materiis quibuscum liquores fermentati sae-

pissimè inquinantur. Neminem enim latet horum abusum multis et tristissimis morbis originem praebere, quorum nonnulli statim vitam extinguunt, alii lentâ et miserandâ valetudine macerant, donec mors ipsa omnibus aerumnis finem ponat.

Nulla adest ratio cur credamus homines naturâ liquores spirituosos appetere ; infantes enim, voluptates, quae ex iis oriuntur, nondum experti, ut primum gustaverint, fere respuunt ; nec aliter res se habet in adultis, donec prava consuetudo fastidium, sapiente consilio a naturâ inditum superaverit : " But things do not present themselves to the palate as they do to the sight : they are generally applied to it either as food or as medicine ; and, from the qualities which they possess for nutritive or medicinal purposes, they often form the palate by degrees, and by force of these associations. Thus, opium is agreeable to the Turks on

account of the agreeable delirium it produces. Tobacco is the delight of the Dutchman, as it produces a torpor and pleasing stupefaction. Fermented liquors please our common people, because they banish care and all consideration of future or present evils. All of these would lie absolutely neglected if their properties had originally gone no further than the taste." * Sic temulentiae cacoëthes a Burke describitur; sed aliae causae ad id cieant. Aliquando ex falsâ sententiâ quòd digestionem et salutem promovet, originem ducit; aliquando etiam ex desidiâ oritur, quae varia desideria, et consuetudines supervacuas, et inter has ebrietatem creat; vel postremò ex dolore aut lassitudine oritur, affectionibus, quae valdè poscunt solatium quod liquores generosi ferunt, atque aliquem praetextum huic desiderio indulgendi suppeditant.

* Burke on the Sublime and Beautiful.

Consuetudo tamen bibendi diversa habet incitamenta ex iis, quibus originem duxit. Prope enim tempora bibendi solita, ebriosi deliquio animi, et sensu molestiae circa praecordia vexari solent; quae mortales, nisi magnâ animi vi praediti, perferre nequeunt.

Ab ejusdem intemperantiae repetitione haec pro tempore fugantur; sed adhuc plus damni ebrioso contingit. Corpus enim eâdem Alcoholis copiâ nequit excitari; unde fit ut ad eundem gradum hilaritatis vel tranquillitatis adipiscendum, potionis mensurâ augenda est, sic autem omnia mala ebrietati propria, rapide ingravescunt, et infelicem hominem etiam juvenem ad umbras praecipitant.

Hoc in loco, aliquod de effectibus inter bibendum excitatis dicam. Si aliquis vi-

num modice bibat, gratus et ardens sensus pectus primum occupat, qui breviter se per totum corpus diffundit, vis musculorum multum intenditur, et omnes motus faciliores et promptiores evadunt, sanguinis cursus ubique incitatur, corpus incalescit, et secretiones augentur.

Corpore vino fervente, mens quoque in consortium rapitur, nunc tristes curae diffugiunt, ingenii vires novo acumine pollent, animi celeres hùc et illùc per omnia versantur, et lingua insolitâ facundiâ valens, gratiam conciliat dictis.

Nunc, si quis vinum meracius bibat, pathemata animi majore impetu concitari incipiunt, et in motus abnormes erumpunt; hinc amator non amplius tacito comburitur igne, sed, se genio liberè indulgens, divinâ amicae imagine corripitur, et laudibus in astra tollit. Nec minus inter spumantia po-

cula amicitiae est locus; homines enim hoc vinculo devincti, arcana pectoris recludunt, et dextram ferventiùs jungunt.

In hoc autem statu omnes non his gratis sensibus excitantur, nonnulli enim exaestuant irâ, alii invidiâ pallescunt, et alii hoc tempore injurias diu sopitas praesertim reminiscuntur; et sic dira et aspera jurgia suscitant, quae mentem excaecant, et saevo impetu in omne nefas praecipitant.

Fines autem sunt quos ultra si quis orgia protraxerit, vertigo supervenit, et artus titubantes vix, ac ne vix quidem, corpus sustinere possunt; vox balbutit, aut prorsus faucibus haeret; facies tumida erubescit, et visus depravatur.

"Their feeble tongues,
"Unable to take up the cumbrous word,
"Lie quite dissolved. Before their maudlin eyes,
"Seen dim, and blue, the double tapers dance,
"Like the Sun wading through the misty sky,
"Then sliding soft, they drop."——THOMSON.

Post magnam hanc corporis excitationem, ebriosus nauseâ, vomitu, et dolore capitis plectitur, et maxima debilitas totum pervadit corpus, nec nisi multis horis, vel aliquando etiam diebus elapsis, solita munia obire queat: Tantas dat poenas damnosa vini voluptas! Hi fere sunt effectus, quibus vinum corpus brevi exercet, et in hoc paroxysmo ebrius saepe e vivis rapitur.

Quandoquidem adhuc tantum de effectibus proximis vini dixi, nunc pergam dicere de remotis, vel iis, qui multis morbis originem praebent; diu enim invaluit opinio multos morbos primam originem ex frequenti ebrietate traxisse.

"O'er the dread feast malignant Chemia scowls,
"And mingles poison in the nectar'd bowls;
"Fell Gout peeps grinning through the flimsy scene,
"And bloated Dropsy pants behind unseen;
"Wrapp'd in his robe, white Lepra hides his stains,
"And silent Frenzy writhing bites his chains."—Darwin.

Morbo, cui objecti sunt potatores, gravissimo, quem Apoplexiam esse pono, incipiam. Inter damna quae ex abusu vini proveniunt, sana actio cerebri et nervorum citiùs seriúsve semper turbatur. Apoplexiam vini intemperantiam inducere, satis superque demonstrant mortes subitae, quas hominibus mero oppressis toties occurrisse audivimus, quarum omnium forsan causa ad hunc morbum referenda esset. Apoplexia tamen vinolenta non semper subitam affert mortem, sed paucis horis plerumque decedit; saepius autem repetita, vasa infirmando, congestioni viam sternit, quâ fit, ut apoplexia mortem ferens, semper minitetur; vel si congestio levior fuerit, paralysis induci potest, et sic vita magis miserabilis quam ipsa mors redditur. In priori exemplo cerebrum forsan per totam substantiam laborat; in altero origo quorundam nervo-

rum solummodo comprimi videtur, et hemiplegia immedicabilis, brevi forsan in Apoplexiam desitura, enascitur.

Hoc tristissimum praemium ex pravâ consuetudine spiritûs ardentis ingurgitandi tulerunt isti miseri, paralysi correpti, quos, in plateis artus languidos et exsuccos aegerrime trahentes, quotidie conspicimus; et hi etiam nunc ad pocula, venturi temporis parum providi, saepe avidissime confugiunt.

Epilepsia quoque saepe ducit originem ex iisdem causis quae Apoplexiam et Paralysin inducunt.

Mania, quaedamve aliae insaniae species, inveteratâ bibendi consuetudine saepissime inducuntur. Celeberrimus Doctor Cullen opinatur proximam insaniae causam ex cerebro inaequaliter exercitato pendere, *

* Cullen's first Lines, &c.

quod ad statum hujus organi morbidum referri debet; et Morgagni inquit, cerebrum insanorum, ferro patefactum, in nonnullis partibus solito durius, et in aliis mollius, saepe apparuisse. * Satis certo scimus quod quaedam mutatio in cerebri structurâ frequenti ebrietate induci potest; sed quomodo id perficitur, altâ caligine obvolutum adhuc latet.

Peculiare est genus delirii, ab ebrietate inductum, quod a Doctore Pearson de Cumbriâ, (qui primus, ni fallor, morbum bene illustravit,) linguâ vernaculâ "Brain Fever" nominatur. Hic morbus raro accidit, donec aeger per plures dies ebrietate obstupuit, et tunc variis modis affici potest. Mens multum agitatur, et oculi feroces hùc et illùc incitato motu torquentur, concilii et intellectûs quasi expertes;

* Morgagni de sedibus, &c. Lib. 1. Epist. 2 Art. 22.—Epist. 3. Art. 6—16, &c.

omnesque artus solito citiùs moventur. Noctu somniis diris et horrendis quies derepentè abrumpitur, et mentis perturbatio per aliquot dies saepe eò ingravescit, ut imagines varias et fictas, quae animum permeant, aeger tandem pro veris ducat. Modo animalia diversa, telis horrendis instructa, et sibi necem instanter illatura, fingit; et, uti ipsi videtur, conspicit; interdum delirio exardens, viribus incitatissimis, hostes debellare conatur, et molimina perinsignia edit.

Palpitatio cordis, et Syncope, quibus vinolenti saepe vexantur, ab actione vini in genus nervosum originem ducere videntur.

Affectiones oculi ab ebrietate saepe ducunt originem, fabrica enim oculi delicatissima stimulo vini pestifero male obstat, permanensque inducitur inflammatio, quae in maculis, caligine, et saepe in amaurosi terminat. Hic morbus gravissimus nunc sae-

pius quam olim occurrere observatur, et hoc ad usum liquorum spirituosorum auctum adscribitur.

His morbis praemissis nunc in animo est dicere de effectibus, quos in ventriculum et organa vicina, vinum exercet.

Ventriculus viribus hujus deletricibus imprimis obnoxius est, et si usus vini longius adhibeatur, dyspepsia cum longo suo ordine symptomatum moestorum satis certo sequetur. Etsi ab omnibus fere conceditur vinum nimiâ quantitate usurpatum totum corpus ociùs seriùsve infirmare, multis tamen persuasum est, tres quatuorve cyathos meri, vel pauxillum spiritûs ardentis diluti, vi stimulante et cardiacâ ad cibi concoctionem valde conducere. Haec autem opinio nullo fundamento niti videtur; et verisimile est usum vini non solum in ventriculo sano cibi concoctioni non opitulari, sed reverà pluri-

mum obesse: sicut ab experimento a Doctore Beddoes instituto apparet.* Ut notaret effectus qui ex liquoribus spirituosis statim proveniunt, curavit ut duo catuli, eodem partu editi, eandem cibi quantitatem ederent, uni drachmas tres spiritûs vini, unâ solummodo aquae drachmâ diluti, dedit. Quinque horis elapsis utrosque enecavit, et cadavera patefecit. Ventriculus animalis cui spiritum dedit, duplicem fere quantitatem cibi continebat, ac in altero reperta est; et frustula carnis parum imminuta inventa fuere. In alio autem vires ventriculi multo magis conspicuae fuerunt; anguli cibi magis obtusi et comminuti apparebant, et substantia ejus mollior fuit. Hinc apparet quod vinum ventriculo acceptum, vim fibris ejus musculosis insitam imminuit, naturamque succi gastrici corrumpit. Sic abusui vini dediti appetitus cibi amittunt,

---

* Beddoes' Hygeia.

et post pastum habent ventriculi inflationem, nauseam, vomitum, cardialgiam, et omnia signa molestissima quae concoctionem vitiatam comitantur. Hi non solum cibi appetentiam amittunt, sed eum usque ad nauseam fastidiunt; quodcunque autem in ventriculum accipitur, vel statim rejicitur, vel brevi in fermentationem acetosam ruit, et miseros frequenti ructu, ardore ventriculi, torminibus, alvo nunc minus solutâ, nunc pertinaciter adstrictâ torquet. Nec nox ullam dat requiem malis quibus vexantur; somnum placidum rarissime carpunt, insomniis horrendis plerumque agitantur, et alma lux eos parum refectos ad munera vitae revocat: utprimum enim expergiscuntur, tremores occupant artus, et vires vacillantes munera solita obire nequeunt, donec stimulo assueto firmatae fuerunt, qui tandem ex diuturnâ consuetudine inertiam excutere non amplius valet. Nunc

animi facultates unà cum corporis viribus penitus collabuntur; ex prostratâ quoque cibi appetentiâ nil concoqui potest ad quotidianam corporis jacturam reparandam; macies extrema evadit, corpus febre lentâ tabescit, et veneni lues medullis penitus insidens, morte optatâ, miseriis finem ponit.

Ii ad vinum addicti semper fere ventriculum habent morbidum. Dominus Hunter eum solito flaccidiorem et molliorem, sanae succi gastrici secretioni minime idoneum invenit*; et Doctor Gregory in suis praeclaris praelectionibus dicit liquoribus spirituosis deditos inflammatione erythematicâ ventriculi haud raro corripi, et porro hunc morbum saepe in scirrhum ventriculi abire affirmat.† Quibusdam autem exemplis

* Saunders' Treatise on the Liver.

† Audi Dris. Gregory Praelect. de Med. Prac. in Acad. Ed.

schirrus ventriculum occupavit, nullâ praegressâ acutâ inflammatione ; sed hoc in casu probabile est scirrhum levi et chronicae inflammationi originem debere. Ab experimentis in equos institutis, sicut a Beddoes narratur, apparuit, quòd cum liquores spirituosi in ventriculum ingesti fuerunt adeo ut gradum hilaritatis sensibilem inducant, interna ejus superficies rugosa facta est, et vasa cerebri nimis sanguine completa sunt.*

Morgagni ventriculum ebriosi gangraena correptum, et magnitudine haud parum auctum se reperiisse refert.† Doctor Baillie in cadavere quod aperuit duodeni tumorem schirrhoideum, et ulcus foetidum detexit, quod eandem causam agnoscere videtur. ‡ Aliquando etiam status duodeni ad ductum communem choledochum propagatur, qui

---

* Beddoes' Hygeia.

† Morgagni de sedibus, &c. Lib. 1. Epist. 24. Art. 35.

‡ Baillie's Morbid Anatomy.

ita crassus redditur, ut egressum bilis obstruat; et sic aeger in icterum pertinacissimum incidit: "In the dissection of those, who have been intemperate dram-drinkers," dicit Saunders, "the diseased structure may be traced from the stomach along the course of the ductus communis, and I have frequently seen these ducts so contracted and thickened, that they could not transmit bile."*

A vini intemperantiâ hepar saepissimè laborat, et ab eâ morbus Hepatitis dictus frequenter ducit originem.

In his regionibus et in aliis quae coeli temperie non minus fervidâ utuntur, hepar inflammationi lentae obnoxium est, quae ab auctoribus Hepatitis Chronica vocatur. Inter causas remotas hujus morbi vinum meritò recensetur, et, impetum sanguinis per

* SAUNDERS' Treatise on the Liver.

hoc viscus adaugendo, eum concitare videtur. Hoc modo secretio bilis augetur, et inflammatio, scirrhus, aliique morbi ebriosorum induci videntur; his quocunque autem modo morbus obvenit, frequentissimè occurrit, et in progressu plerumque tardus est, sed gradu diversis hominibus variat. Aliquando nulla morbi hujus visceris signa, vitâ perstante, observantur; cadavere tamen inciso, pus non raro deprehenditur. Si neque resolutione nec suppuratione terminetur, sed solito diutius perstet, pars lymphae coagulabilis in substantiam hepatis forsan effunditur, et scirrhi fundamenta jacet. Morgagni inter alios morbos quos in cadaveribus vinolentorum vidit, se hepar mole auctum et induratum saepe invenisse narrat. *

Doctor Baillie hoc viscus inter bibaces a

* Morgagni de sedibus, &c. Lib. 1. Epist. 4. Art. 6.

tuberculis saepissimè occupatum invenit,* et hanc affectionem maribus quam foeminis frequentiùs accidere dicit. Id ad usum frequentiorem vini illo quam in hoc sexu attribui putat.

Hepatitis acuta, non tam frequens in his regionibus quam in tropicis, ad stimulum, quem calor corpori impertit, attribui solet; et hoc vini abusui, cui ex Europâ egressi tantùm ex variis causis addicti sunt, referri potest. Observatione enim dignum est, Indiae indigenas, qui vino non utuntur, raro hepatitide laborare; siquando autem ex solitâ temperantiâ deflectunt, morbis jecinoris proni evadunt.†

Constat quoque animalia, quae granis et foecibus post spiritum igne prolectum relictis vescuntur, hepar plerumque adauctum et induratum habere.

---

* Baillie's Morbid Anatomy.

† Sherwen's Observations on Bilious Disorders.—*Annals of Medicine*, 1801.

Viscera vicina lien et pancreas labem ex eâdem causâ nequaquam fugiunt; Morgagni enim ea in vinolentis tumida et scirrhosa invenit.* Imo etiam ex mole pancreatis ita adauctâ ut ductum choledochum comprimat, icterus nonnunquam originem trahit.

Affectiones hydropicae ebriosis frequenter mortem ferunt, et ii, qui hepate infirmo laborant his malis plerumque succumbunt. Quodcunque enim circuitum sanguinis per hepar impedit, eum majore copiâ in venâ portarum colligit; hinc major fit renixus sanguini ex arteriis vicinis in venas influenti, et pars tenuior uberiùs igitur per exhalantia in cavum effunditur, hydropi insanabili originem datura.

Hydrothorax ex hepatis mole adauctâ,

* Morgagni de sedibus, &c. Lib. 1. Epist. 4. Art. 16. et Lib. 4. Epist. 52. Art. 30.

originem saepissime ducere videtur, quia diaphragmatis descensui hepar obstat, et ita aër atmosphericus in cellulas pulmonum ad eas rite distendendas intrare non potest. Hinc transitus sanguinis in venas pulmonum impeditur, unde fit, ut nusquam non sit, ubi per venas iter obstatur, effusionem ex arteriis augeri.

Vasa sanguinem afferentia per totum corpus fere vino multum turbantur, et stimulo tam valido ad motus inordinatos incitantur; et, sanguine ad quasdam corporis partes uberiùs delato, morbi, qui inflammationes habent, gignuntur. Hinc rubedo, et eruptiones, quibus facies, et praesertim nares potatorum turpiter notantur, ex vasis cutaneis praeter modum agentibus provenire videntur, et diversae haemorrhagiae ex usu immodico liquorum spirituosorum saepe prorumpunt.

Nunc mihi restat de podagrâ agere, quae, quanquam seriùs tractanda, non tamen morbus eò minùs frequens est, qui a vini intemperantiâ oritur.

Podagram vini et veneris prolem esse fabula dicit; et quidem verè, nam ubi incognitus manet liquorum spirituosorum usus, raró invenitur podagra.

Podagra, etsi morbus hereditarius, regimine idoneo saepe feliciter oppugnatur, de quo multa exempla adduci queant. Exemplum hujusmodi in nostro celeberrimo professore Doctore Gregory occurrit, cujus pater eximius citò Apoplexiâ abreptus, a podagrâ miserrimè vexatus fuerat. Filius a paterno morbo aetate maturâ petebatur; ille tamen poenam periculumque praesciens, si liquoribus generosis non abstineret, et exercitationes vehementes non admoveret, statim diaetâ parcâ et idoneo regimine, morbo occurrere incepit; et sane praemium virtuti debitum tulit, usque enim ad hunc

diem a podagrâ prorsus immunis, et pleno mentis acumine aetatem agit.

Hallucinationes de hâc re pertinacissimae, in pravis theoriis fortè veterum medicorum editae, quibus medicina non tam plene intelligebatur, adhuc etiam paucos dirigunt. Podagram materias quasdam noxias, quae intra corpus generantur depellere existimant; itaque quam maximam salutem promovere; et ii, qui tam miseri sunt, ut hoc saevissimo morbo vexentur, gratulationes amicorum accipere solent. Nil mirum est igitur quoniam aegri hujusmodi opinionibus falluntur, si sedulò morbum foveant, quem adeo salutiferum esse fingunt. In tanto honore equidem hic morbus est inter nos, ut ii, eo laborantes, nequaquam pudore affecti, eum pro hoc testimonio ingluviei temulentiaeque summam esse gloriam existiment, et ob eum auctam observantiam et dignitatem inveniunt.

Quidam medici Nephritidem a vinolentiâ concitari putant; hic verò morbus non valde frequenter hanc causam agnoscit.

Leucorrhoea, Menorrhagia, et Sterilitas a vini intemperantiâ saepe pendere existimantur.

Vinolentia quoque, vires corporis debilitando, homines ad miasmata, quae febres intermittentes gignunt, et quoque ad contagium, quo febres continuae grassantur, suscipiendum, multò opportuniores reddit.

Nequaquam difficile esset alios morbos ex ebrietate ortum ducentes numerare; hi verò, de quibus jam dixi, saepissime se medico offerre, et summam attentionem postulare videntur.

In hoc tentamine nunc tantum mihi dicere de vino restat, quòd si homines usum

ejus luxuriae causâ omnino deponerent, et ad hoc solatium, cùm morbis obsessi sunt, vel cùm corpus annis confectum aliquod meracius exposcit, solummodo confugerent; a multis malis sese praestarent immunes, et breve et irreparabile vitae tempus saniùs et gratiùs agerent.

FINIS.

Edinburgi :—*E Prelo Academico.*